

EPISTULA LEONINA

CXIL

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDEQUINQUAGESIMAM (149) !

ARGUMENTA

| | |
|--|---------|
| 1. AB OBICE SAEVIOR..... | 03 |
| 2. L.U.P.A. ANNUNTIAT SEMINARIUM LATINUM (<i>Koch</i>)..... | 04 |
| 3. DE DONATIONE CONSTANTINA (<i>Wikipedia</i>)..... | 05 - 11 |
| 4. CONSTITUTUM CONSTANTINI..... | 12 – 20 |
| 5. MILLE ANNIS JAM PERACTIS..... | 21 |
| 6. INTERROGATIO XAVIERI (<i>Xavier Morrente</i>)..... | 22 |
| 7. ASTRUM SUI CONSCIUM (<i>Ioannes Teresi, Elisa Magurno</i>)..... | 23 - 24 |

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam undequinquagesimam.

Hac in Epistulâ Leoninâ tractatur thema historiae ecclesiasticae famosum: Agitur enim de Donatione Constantini. Babae quantâ fraude potestas Ecclesiae saecularis est effecta! Num interim sedes Petri est purgata a tantâ turpitudine fraudulentâ? An verum est proverbium illud mediaevale, quod incipit a verbis ‘Annis mille jam peractis nulla fides est in factis...’? Laudanda autem est Nicolai Cusani atque Laurentii Vallae subtilitas, quâ demonstraverunt hoc documentum esse falsatum.

Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 149 tolle et lege et laetare et ... fideliter pergas legere Epistulas meas!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 14. m.Ian. a.2018**



AB OBICE SAEVIOR

Verba quae inscripta sunt scuto heraldico coetûs pedifolliarii Provinciae Francogallicae, derivata sunt ab Ovidii Metamorphosibus.

OVIDIUS, *Metamorphoses* III, 564-571 hunc avus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum/ corripiunt dictis frustra que inhibere laborant./ acrior admonitu est inritaturque retenta/ et crescit rabies remoraminaque ipsa nocebant:/ sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,/ lenius et modico strepitu decurrere vidi;/ at quacumque trabes obstructaque saxa tenebant,/ spumeus et fervens et **ab obice saevior ibat**.

**Caecilia Koch L.V.P.A.e praeses Nicolao Groß
Latinissimo Leoni salutem plurimam**

**Magno cum gaudio tibi nuntio, quod L.V.P.A. et
Institutum Philologiae Classicae Universitatis
Varsoviensis mense Augusto huius anni
Seminarium Latinum instituent. Seminarium
habebitur diebus**

20.-27.8.2018

**Varsoviae in urbe Poloniae capite. Ante
Seminarium (diebus 6.-19.8.) Schola Latine
Loquendi Posnaniae in urbe (Poznan/Posen) in
Polonia habebitur; qui igitur tres septimanas lingua
Latina viva frui volent, utrique interesse poterunt.
Singula de Seminario (scil. pretia, docentium
nomina, thema generale, argumenta singularum
acroaseon scholarumque, locus excursionis), cum
constituta erunt, divulgabuntur apud www.lvpa.de.
Magnas gratias tibi agam, si hunc nuntium inter
amicos Latinos divulgaveris.**

Valeas quam optime

DE DONATIONE CONSTANTINI



Ecce leprâ sanâtâ Constantinus Imperator Silvestro donat phrygium (tegmentum capitis, cuius loco papa nunc adhibet *tiaram*) et unâ cum Romanis etiam Romam urbem (*Donatio Constantini*). Imago, quae inest operi tectorio a.1246 confecto, in **Ecclesiâ basilicâ Sanctorum Quattuor Coronatorum Romae ad Lateranum sitâ.**

Eadem ecclesia pertinet ad quaedam aedificia, quibus interest monasterium, quae quarto iam saeculo p.Chr.n. sunt constructa. Ecclesia stat in Monte Caelio, ubi Colosseo et Laterano est interposita.

In primâ aulâ anteriore sita est *Sacellum Sancti Sylvestri*.

Opera tectoria parietibus sacelli imposita a.1246 picta sunt a pictoribus byzantinis. In iisdem apparent scaenae *Donationis Constantini* et *Legendae aureae* mediaevalis, in quibus dicitur Imperator Constantinus leprosus in somnio a Sancto Petro Sanctoque Paulo monitus advocavisse Silvestrum I., a quo ope balnei mirabilis, id est baptismatis, sanaretur. Imperatorem, ut gratias ageret, Silvestro Urbem Romam et terram occidentem donavisse.

Constitutum Constantini sive *Donatio Constantini ad Silvestrum I Papam* est nomen documenti, quod ab auctore ipso dicitur annis 315/317 p.Chr.n. scriptum esse iussu Constantini I. Imperatoris Romanorum. At historici affirmant idem documentum esse circa annum 800 falsatum. In eodem scripto transfertur ad Papam Silvestrum I. (qui fuit pontifex annis 314–335) eiusque successores omnes *usque in finem saeculi*, i.e. ad finem temporis, potestas superior ad res spirituales spectans, simul etiam politica, non solum Romae, Italiae, dimidiae partis occidentalis Imperii Romani, sed etiam totius orbis terrarum¹.

Papae hōc documento usi sunt, ut causam afferrent praepotentiae suae christianitatis et iuris territoriorum. Idem documentum saeculo quinto decimo demonstratum est falsatum esse, sed haec falsificatio plerisque hominibus remansit ignota, usque dum percrebruit fidei reformatione, quā papae potestas vituperabatur. A saeculo decimo septimo usque ad undevicesimum Ecclesia Catholica contendit documentum illud esse quidem falsatum, tamen donationem illam reverā esse factam. Hodie documentum falsatum a theologis habetur pro *symbolo formae ecclesiae saecularis*, sed nequaquam creditur esse documentum iuris, quo civitas ecclesiastica possideatur, ut ait *Horst Fuhrmann*.

Nomen, quo hoc documentum falsatum appellatur in testimoniis, est *Constitutum Constantini*. Idem constat e duabus partibus aequalibus, e *Confessione* et *Donatione*. E parte Donationis derivatum est nomen solitum, q.e. Donatio Constantini. Confessionis autem sunt multo plures quam 300 codices versione latinā, graecā, syriacā, armeniacā aliisque vulgaribus scripti.

In parte Confessionis legitur Imperator Constantinus persecutor christianorum vitā exeunte incidisse in morbum leprae. Itaque capitolinos sacerdotes romano-paganicos ei suasisse, ut balnearet in sanguine infantum innocentium, sed imperatorem matribus lamentantibus misericordiā affectum infantes cum matribus domum misisse. Constantinum, ut huius facti acciperet mercedem, somniantem a Petro atque Paulo apostolis sibi apparentibus monitum esse, ut accederet Papam Silvestrum I., a quo adiuvaretur. Silvestrum autem ad montem Soractes latuisse, ne caperetur a Christianorum

¹ cfr https://de.wikipedia.org/wiki/Konstantinische_Schenkung et <http://12koerbe.de/arche/const.htm>

persecutoribus. Tum Constantinum accessivisse Silvestrum, a quo sanaretur balneo baptismali. Sic legitur in Constituto Constantini. At reverâ Constantinus ab episcopo *Eusebio Nicomediensi* baptizatus est moriturus demum in lecto iacens. Secundum traditas litteras christianas Constantinus primus fuit imperator more christiano agens. In Constituto autem Constantini imperator refertur sanatus christianam fidem trinitariam verbis extulisse unâ cum Petro etiam Silvestrum accepisse potestatem ligandi atque solvendi.

In alterâ autem parte documenti Constantinus traditur gratus episcopo Romano attribuisse principatum omnium ecclesiarum ceterarum, id est patriarchatum Constantinopolis, Antiochiae, Alexandriae, Hierosolymae. Praeterea papae attributa esse insignia atque privilegia imperatoris, quae essent diadema, pallium purpureum, sceptrum, necnon ius processioneis. Denique eidem etiam traditam esse potestatem totius Italiae totiusque imperii occidentalis. Secundum documentum Constantinus Silvestro eiusque successoribus etiam dat Palatium Lateranum necnon ut indicaret sui humiliationem, munus suscipit stratoris, id est agasonis munus rituale eo, quod ducit equum papalem. Constantinus sedem suam gubernandi Româ ex urbe transponit in urbem Constantinopolin, id est in partem Imperii orientalem, cum Silvester suscipiat Imperium occidentale².

Ergo hâc documento falsato causa affertur, quâ Ecclesia Romana agros et fundos possideat et imperet omnibus ecclesiis ceteris necnon papae potestas attribuitur, quae similis sit potestati imperatoris saecularis.

Constituto Constantini quae effecta sint aevo medio.

Fortasse donatio Constantini octavo iam saeculo quandam vim habuit ad *Pippinum III.* regem Francorum, qui a *Papâ Stephano II.* impetum Langobardorum timente rogatus, ut adiuvaret, illi per donationem Pippinianam attribuit potestatem regionum Langobardicarum mediâ in Italiâ sitarum, easdemque partim ad papam transtulit ideoque territorium Civitatis Ecclesiasticae exauxit. At

² [Horst Fuhrmann](#): *Die Konstantinische Schenkung – Über die Bedeutung und Wirkung einer berühmten Fälschung*; aus *zur debatte* Heft 4, 2007; [Katholische Akademie in Bayern](#).

nonnulli historici opinantur falsationem octavo saeculo exeunte aut nono ineunte demum factam esse.

Donatio Constantini primum commemoratur in Chronico *Adonis Viennensis* et apud *Aeneam Parisinum* (utrumque opus circa a.870 scriptum est)³. Alii loci testes inveniuntur in *Hincmari Remensis* opere, quod inscribitur *De Ordine Palatii* et a.882⁴ editum est, et in documento Papae Benedicti VII.i, quod missum est Hispano cuidam m. Aprili a.979. Documenti postremi sanctio sive comminatio⁵ multas partes continet Donationi Constantini similes. At hic textus excerptus nullius fuit momenti iuridici nihilque nisi ornamentum diplomaticum.

Manuscriptum quoddam saeculi decimi, quod hodie Bambergae servatur, continet versionem quandam specialem Constituti Constantini, quae a diacono nomine Iohannis in aulâ *Ottonis I.* proposita est, sed ab eius aulicis pro falsâ habita et reprobata. A.1001 ab *Ottone III.* nepote Ottonis I. editum est diploma imperiale ad eandem versionem falsatam spectans. Nam îdem Imperator semigraecus ad illam falsationem provocans strictê negavit Constitutum Constantini esse veram⁶. Brevi autem post îdem imperator 21 annos natus mortuus est morte non naturali.

Maximâ autem cum vehementiâ Constitutum Constantini adhibetur argumentum magnâ in controversiâ, quae facta est inter *Michaelem Cerullarium patriarcham oecumenicum* et *Papam Leonem IX.* eiusve vicarium *Cardinalem Humbertum de Silvâ Candidâ* (1053/1054), qui iter fecerat Constantinopolin. Quâ in controversiâ inter clericos orientales et occidentales factâ primo agebatur de quaestionibus liturgicis et de usu eucharistico panis fermentati aut non fermentati (i.e. azymi). At mox maior vis attributa est primatui episcopi Romani, et Humbertus textum Constituti attulit sensu romano-petrino: Primo ordinem sedium patriarcharum ita mutavit, ut Constantinopolin – ut eam humiliaret - poneret in fine: primo Romam,

³ cfr Johannes Fried: *Donation of Constantine and Constitutum Constantini*. Berlin u. a. 2007, p. 47.

⁴ cfr Hinkmar, *De ordine palatii*, ediderunt et transtulerunt Thomas Gross et Rudolf Schiesser, Hannoverae a.1980 (MGH, Fontes iuris germanicis antiquis, III), p. 57 et adn. 106.

⁵ theod. *Poenformel* (lat. sanctio, minatio, comminatio). Formula, qua auctor documenti mediaevalis minatur poenam solutum iri ab eo, qui negotium iuridicum in documento descriptum violaverit. Saepe additur promissio mercedis, quae accipiatur pro benedictione, i.e. pro munere expleto.

⁶ [Jürgen Miethke: Die „Konstantinische Schenkung“ in der mittelalterlichen Diskussion](#)

deinde Alexandriam, post Hierosolymae patriarchatum minorem demum magnam Constantinopolin. In hac re actum esse de ordine auctoritatis ex eo apparet, quod patriarcha *Michael Cerullarius* induit insignia imperialia illis emblematis respondentia, quae translata erant Papae Silvestro eiusque successoribus. Haec controversia ecclesiarum, quae etiam etiamque fiebat vehementior, a.1054 finita est exsecratione ambarum ecclesiarum mutuâ, ad quam appellandam occidentales tantum historici religionis confinxerunt notionem *schismatis orientalis*; quod schisma plus minusve durat usque ad tempus hodiernum.

Inde a saeculo undecimo medio usque ad mediam aetatem exeuntem papae provocabant ad Donationem Constantini, ut argumentum haberent et ad territoria postulanda et ad controversias cum patriarchâ Constantinopolitano agendas. Si tardissimê, saeculo undecimo Donatio Constantini facta est pars firma Iuris Ecclesiastici. Etiam cum circa annum 1440 demonstratum esset eandem donationem esse falsatam, primo Donatio Constantini, qualis erat institutio iuridica, nequaquam est abolita. Nam in documentis existimandis iurisconsulti mediaevales maiorem vim attribuebant argumento (si quidem erat plausibile) quam origini. Falsationes non erant insolitae solebantque ratione iuridicâ integrae incorporari.

Medio aevo praeter Ottonem III. et haereticos singulosque adversarios papae Italicos nemo Donationem Constantini repudiaverat irritam. Quamvis papae per saecula cum imperatoribus regibusque Francogallis Anglisque litigarent, nullus horum dominorum umquam conatus est veritatem huius documenti in dubium vocare. Tamen iterum iterumque variis de causis obiciebatur falsationem esse factam.

Una ex his causis nescimus an sit ratio partim erratica, qua Constitutum Constantini impositum sit *Decretalibus Pseudo-isidorianis*, uni ex operibus iuris ecclesiastici medio aevo ineunte frequentatissimis. Nam eodem in opere *Constitutum Constantini* invenitur post epistolam cuiusdam *Melchiadis* (310-314), papae Silvestro praecedentis, et post quendam tractatum de Concilio Nicaeensi scriptum, in quo iam accuratê scribitur de donatione Constantini Silvestro factâ. Inde nonnullis Romanis subiit Donationem

Constantini esse falsatam. Eandem esse fabulam mendosâ atque haeticâ confictam, de quâ Româ in urbe *ipsi caupones atque venditrices circumforaneae liberê loquerentur* – hoc relatum est **Friderico Barbarossae** a.1152 thronum ascendenti. Medio saeculo duodecimo grex quidam libertatem petentium omnes donationes, quas Papae Silvestri factae erant, voluit reddere irritas. **Bernhardus Clarivallensis** Donationem Constantini addubitans vituperavit, quod eodem documento venenum luxuriae atque avaritiae in clerum invasisset.

Quomodo demonstratum sit Donationem esse falsatam.

Quinti decimi demum saeculi duo viri docti, primo **Nicolaus Cusanus** Germanus theologus philosophusque (*De Concordantiâ Catholicâ*. a.1433), deinde circa annum 1440 **Laurentius Valla** Italus humanista demonstraverunt Donationem esse falsatam. Laurentius Valla argumentis, quae spectaverunt ad sermonem adhibitum, demonstravit latinitati Donationis inesse verba, quibus rectê consideratis negandum esse eandem scriptam esse quarto saeculo ineunte. Praeterea in documento commemoratur nomen, quod est Constantinopolis, quamvis haec urbs tempore, quo dicatur documentum editum esse (315/317) adhuc appellata sit *Byzantion* sive *Nova Roma*.

Reformatâ demum fide res a Laurentio Vallâ cognita latê percrebruit. **Udalricus de Hutten** a.1521 papam quoquomodo impugnans denuo Vallae opus, quod inscribitur Donatio Constantini, edidit. Ex saeculo septimo decimo ineunte Ecclesia Catholica docuit documentum quidem esse falsatum, tamen reverâ factam esse donationem Constantini, sed falsationem illam factam esse a Graecis, id est non mandatu papae. Nono decimo demum saeculo **Ignatius Döllinger** theologus catholicus demonstravit falso et improbabiliter contendi documentum esse originaliter graecê scriptum et postea in Latinum conversum. Eodem saeculo Sedes Vaticana falsatione cognitâ comprobavit fieri non posse, ut dono imperatoris romani facto papae ius addiceretur potestatis saecularis.

**SYMBOLA WIKIPEDIANA,
QUAE EST DE DONATIONE CONSTANTINI,
IN LATINUM CONVERTIT**



LEO LATINUS.

CONSTITUTUM CONSTANTINI¹

1. In nomine sanctae et individuae trinitatis patris scilicet et filii et spiritus sancti.

Imperator Caesar Flavius Constantinus in Christo Iesu, uno ex eadem sancta trinitate salvatore domino deo nostro, fidelis mansuetus, maximus, beneficus, Alamannicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper augustus, sanctissimo ac beatissimo patri patrum Silvestrio, urbis Romae episcopo et papae, atque omnibus eius successoribus, qui in sede beati Petri usque in finem saeculi sessuri sunt, pontificibus nec non et omnibus reverentissimis et deo amabilibus catholicis episcopis eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae per hanc nostram imperialem constitutionem subiectis in universo orbe terrarum, nunc et in posteris cunctis retro temporibus constitutis, gratia, pax, caritas, gaudium, longanimitas, misericordia a deo patre omnipotente et Iesu Christo filio eius et spiritu sancto cum omnibus vobis.

2. Ea quae salvator et redemptor noster dominus deus Iesus Christus, altissimi patris filius, per suos sanctos apostolos Petrum et Paulum, interveniente patre nostro Silvestrio summo pontifice et universali papa, mirabiliter operari dignatus est, liquida enarratione per huius nostrae imperialis institutionis paginam ad agnitionem omnium populorum in universo orbe terrarum nostra studuit propagare mansuetissima serenitas. Primum quidem fidem nostram, quam a praelato beatissimo patre et oratore nostro Silvestrio universali pontifice edocti sumus, intima cordis confessione ad instruendas omnium vestrum mentes proferentes et ita demum misericordiam dei super nos diffusam annuntiantes.

3. Nosse enim vos volumus, sicut per anteriorem nostram sacram pragmaticam iussionem significavimus, nos a culturis idolorum, simulacris mutis et surdis manufactis, diabolicis compositionibus atque ab omnibus Satanae pompis recessisse et ad integram Christianorum fidem, quae est vera lux et vita perpetua, pervenisse credentes iuxta id, quod nos isdem almificus summus pater et doctor

¹ <http://www.thelatinlibrary.com/donation.html>

noster Silvester instruxit pontifex, in deum patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in Iesum Christum, filium eius unicum, dominum deum nostrum, per quem creata sunt omnia, et in spiritum sanctum, dominum et vivificantem universae creaturae. Hos patrem et filium et spiritum sanctum confitemur, ita ut in trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis et unitas potestatis: pater deus, filius deus et spiritus sanctus deus, et tres unum sunt in Iesu Christo. Tres itaque formae, sed una potestas.

4. Nam sapiens retro semper deus edidit ex se, per quod semper erant gignenda saecula, verbum, et quando eodem solo suae sapientiae verbo universam ex nihilo formavit creaturam, cum eo erat, cuncta suo arcano componens mysterio. Igitur perfectis caelorum virtutibus et universis terrae materiis, pio sapientiae suae nutu ad imaginem et similitudinem suam primum de limo terrae fingens hominem, hunc in paradiso posuit voluptatis; quem antiquus serpens et hostis invidens, diabolus, per amarissimum ligni vetiti gustum exulem ab eisdem effecit gaudiis, eoque expulso non desinit sua venenosa multis modis protelare iacula, ut a via veritatis humanum abstrahens genus idolorum culturae, videlicet creaturae et non creatori, deservire suadeat, quatenus per hos eos, quos suis valuerit irretire insidiis, secum aeterno efficiat concremandos supplicio. Sed deus noster, misertus plasmae suae, dirigens sanctos suos prophetas, per quos lumen futurae vitae, adventum videlicet filii sui, domini dei salvatoris nostri Iesu Christi, annuntians, misit eundem unigenitum suum filium et sapientiae verbum. Qui descendens de caelis propter nostram salutem natus de spiritu sancto et Maria virgine, verbum caro factum est et habitavit in nobis. Non amisit, quod fuerat, sed coepit esse, quod non erat, deum perfectum et hominem perfectum, ut deus mirabilia perficiens et ut homo humanas passiones sustinens. Ita verum hominem et verum deum praedicante patre nostro Silvestrio summo pontifice intellegimus, ut verum deum verum hominem fuisse nullo modo ambigamus; electisque duodecim apostolis, miraculis coram eis et innumerabilis populi multitudine coruscavit. Confitemur eundem dominum Iesum Christum adimplesse legem et prophetas, passum, crucifixum, secundum scripturas tertia die a mortuis resurrexisse, assumptum in caelis atque sedentem ad dexteram patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

5. Haec est enim fides nostra orthodoxa a beatissimo patre nostro Silvestrio summo pontifice nobis prolata; exhortantes idcirco omnem populum et diversas gentium nationes hanc fidem tenere, colere ac praedicare et in sanctae trinitatis nomine baptismi gratiam consequi et dominum Iesum Christum salvatorem nostrum, qui cum patre et spiritu sancto per infinita vivit et regnat saecula, quem Silvester beatissimus pater noster universalis praedicat pontifex, corde devoto adorare.

6. Ipse enim dominus deus noster, misertus mihi peccatori, misit sanctos suos apostolos ad visitandum nos et lumen sui splendoris infulsit nobis et abstracto a tenebris ad veram lucem et agnitionem veritatis me pervenisse gratulamini. Nam dum valida squaloris lepra totam mei corporis invasisset carnem, et multorum medicorum convenientium cura adhiberetur, nec unius quidem promerui saluti; ad haec advenerunt sacerdotes Capitolii, dicentes mihi debere fontem fieri in Capitolio et compleri hunc innocentium infantum sanguine et calente in eo loto me posse mundari. Et secundum eorum dicta aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi paganorum sacerdotes eos mactari et ex eorum sanguine fontem repleri, cernens serenitas nostra lacrimas matrum eorum, ilico exhorruí facinus, misertusque eis proprios illis restitui praecepimus filios, datisque vehiculis et donis concessis gaudentes ad propria relaxavimus.

7. Eadem igitur transacta die, nocturna nobis facta silentia, dum somni tempus advenisset, adsunt apostoli sanctus Petrus et Paulus dicentes mihi: "Quoniam flagitiis posuisti terminum et effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus a Christo domino deo nostro, dare tibi sanitatis recuperandae consilium. Audi ergo monita nostra et fac quodcumque indicamus tibi. Silvester episcopus civitatis Romae ad montem Seraptem persecutiones tuas fugiens in cavernis petrarum cum suis clericis latebram fovet. Hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet, in qua dum te tertio merserit, omnis te valitudo ista deseret leprae. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo salvatori compensa, ut omnes iussu tuo per totum orbem ecclesiae restaurentur, te autem ipsum in hac parte purifica, ut relicta omni superstitione idolorum deum vivum et verum, qui solus est et verus, adores et excolas, ut ad eius voluntatem adtingas."

8. Exsurgens igitur a somno protinus iuxta id, quod a sanctis apostolis admonitus sum, peregi, advocatoque eodem praecipuo et almifico patre et illuminatore nostro Silvestrio universali papa, omnia a sanctis apostolis mihi praecepta edixi verba, percunctatique eum sumus, qui isti dii essent: Petrus et Paulus? Ille vero non eos deos debere dici, sed apostolos salvatoris nostri domini dei Iesu Christi. Et rursum interrogare coepimus eundem beatissimum papam, utrum istorum apostolorum imaginem expressam haberet, ut ex pictura disceremus hos esse, quos revelatio docuerat. Tunc isdem venerabilis pater imagines eorundem apostolorum per diaconem suum exhiberi praecepit. Quas dum aspicerem et eorum, quos in somno videram figuratos, in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapibus meis confessus sum eos esse, quos in somno videram.

9. Ad haec beatissimus isdem Silvester pater noster, urbis Romae episcopus, indixit nobis poenitentiae tempus intro palatium nostrum Lateranense in uno cubiculo in cilicio, ut omnia, quae a nobis impie [peracta atque] iniuste disposita fuerant, vigiliis, ieiuniis atque lacrimis et orationibus apud dominum deum nostrum Iesum Christum salvatorem impetraremus. Deinde per manus impositionem clericorum usque ad ipsum praesulem veni, ibique abrenuntians Satanae pompis et operibus eius vel universis idolis manufactis, credere me in deum patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium et invisibilium, et in Iesum Christum, filium eius unicum, dominum nostrum, qui natus est de spiritu sancto et Maria Virgine, spontanea voluntate coram omni populo professus sum; benedictoque fonte illic me trina mersione unda salutis purificavit. Ibi enim, me posito in fontis gremio, manu de caelo me contingente propriis vidi oculis; de qua mundus exsurgens, ab omni me leprae squalore mundatum agnoscite. Levatoque me de venerabili fonte, indutus vestibus candidis, septemformis sancti spiritus in me consignatione adhibuit beati chrismatis unctionem et vexillum sanctae Crucis in mea fronte linivit dicens: "Signat te deus sigillo fidei suae in nomine patris et filii et spiritus sancti in consignatione fidei." Cunctus clerus respondit: "Amen." Adiecit praesul: "Pax tibi."

10. Prima itaque die post perceptum sacri baptismatis mysterium et post curationem corporis mei a leprae squalore agnovi, non esse alium

deum nisi patrem et filium et spiritum sanctum, quem beatissimus Silvester papa praedicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Nam omnes dii gentium, quos usque hactenus colui, daemona, opera hominum manufacta comprobantur etenim, quantam potestatem isdem salvator noster suo apostolo beato Petro contulerit in caelo ac terra, lucidissime nobis isdem venerabilis pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inveniens ait: "Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam." Adverte potentes et aures cordis intendite, quid bonus magister et dominus suo discipulo adiunxit inquit: "Et tibi dabo claves regni caelorum; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis." Mirum est hoc valde et gloriosum, in terra ligare et solvere et in caelo ligatum et solutum esse.

11. Et dum haec praedicante beato Silvestro agnoscerem et beneficiis ipsius beati Petri integre me sanitati comperi restitutum, utile iudicavimus una cum omnibus nostris satrapibus et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romano, gloriae imperii nostri subiacenti, ut, sicut in terris vicarius filii dei esse videtur constitutus, etiam et pontifices, qui ipsius principis apostolorum gerunt vices, principatus potestatem amplius, quam terrena imperialis nostrae serenitatis mansuetudo habere videtur concessam, a nobis nostroque imperio obtineant; eligentes nobis ipsum principem apostolorum vel eius vicarios firmos apud deum adesse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus veneranter honorare et amplius, quam nostrum imperium et terrenum thronum sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriae dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperialem.

12. Atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quattuor praecipuas sedes Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam et Hierosolymitanam, quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum dei ecclesias; et pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctae Romanae ecclesiae extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat et eius iudicio, quaeque ad cultum dei vel fidei Christianorum stabilitate procuranda fuerint, disponantur. iustum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat

principatus, ubi sanctarum legum institutor, salvator noster, beatum Petrum apostolatus obtinere praecepit cathedram, ubi et crucis patibulum sustinens beatae mortis sumpsit poculum sui que magistri et domini imitator apparuit, et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo extenso collo martyrio coronatus est; illic usque in finem quaerant doctorem, ubi sanctum doctoris quiescit corpus, et ibi proni ac humiliati caelestis regis, die salvatoris nostri Iesu Christi, famulentur officio, ubi superbi terreni regis serviebant imperio.

13. Interea nosse volumus omnem populum universarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, construxisse nos intro palatium nostrum Lateranense eidem salvatori nostro domino deo Iesu Christo ecclesiam a fundamentis cum baptisterio, et duodecim nos sciatis de eius fundamentis secundum numerum duodecim apostolorum cophinos terra onustatos propriis asportasse humeris; quam sacrosanctam ecclesiam caput et verticem omnium ecclesiarum in universo orbe terrarum dici, coli, venerari ac praedicari sancimus, sicut per alia nostra imperialia decreta statuimus. Construximus itaque et ecclesias beatorum Petri et Pauli, principum apostolorum, quas auro et argento locupletavimus, ubi et sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro, cui nulla fortitudo praevalet elementorum, construximus et crucem ex auro purissimo et gemmis pretiosis per singulas eorum thecas posuimus et clavis aureis confiximus, quibus pro concinnatione luminarium possessionum praedia contulimus, et rebus diversis eas ditavimus, et per nostras imperialium iussionum sacras tam in oriente quam in occidente vel etiam septentrionali et meridiana plaga, videlicet in Iudaea, Graecia, Asia, Thracia, Africa et Italia vel diversis insulis nostram largitatem eis concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Silvestrii pontificis successorumque eius omnia disponantur.

14. Gaudeat enim una nobiscum omnis populus et gentium nationes in universo orbe terrarum; exhortantes omnes, ut deo nostro et salvatori Iesu Christo immensas una nobiscum referatis grates, quoniam ipse deus in caelis desuper et in terra deorsum, qui nos per suos sanctos visitans apostolos sanctum baptismatis sacramentum percipere et corporis sanitatem dignos effecit. Pro quo concedimus ipsis sanctis

apostolis, dominis meis, beatissimis Petro et Paulo et per eos etiam beato Silvestrio patri nostro, summo pontifici et universali urbis Romae papae, et omnibus eius successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri atque de praesenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum praefertur atque praecelset palatiis, deinde diademam videlicet coronam capitis nostri simulque frygium nec non et superhumeralis, videlicet lorum, qui imperiale circumdare assolet collum, verum etiam et clamidem purpuream atque tunicam coccineam et omnia imperialia indumenta seu et dignitatem imperialium praesidentium equitum, conferentes etiam et imperialia scepra simulque et conta atque signa, banda etiam et diversa ornamenta imperialia et omnem processionem imperialis culminis et gloriam potestatis nostrae.

15. Viris enim reverentissimis, clericis diversis ordinibus eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae servientibus illud culmen, singularitatem, potentiam et praecellentiam habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est patricos atque consules effici, nec non et ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgantes decorari; et sicut imperialis militia, ita et clerum sacrosanctae Romanae ecclesiae ornari decernimus; et quemadmodum imperialis potentia officiis diversis, cubiculariorum nempe et ostiariorum atque omnium excubiorum ornatu decoratur, ita et sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus; et ut amplissime pontificalis decus praefulgeat, decernimus et hoc, ut clerici eiusdem sanctae Romanae ecclesiae mappulis ex linteamibus, id est candidissimo colore, eorum decorari equos et ita equitari, et sicut noster senatus calciamenta uti cum udonibus, id est candido linteamine illustrari: ut sicut caelestia ita et terrena ad laudem dei decorentur; prae omnibus autem licentiam tribuentes ipso sanctissimo patri nostro Silvestrio, urbis Romae episcopo et papae, et omnibus, qui post eum in successum et perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus, pro honore et gloria Christi dei nostri in eadem magna dei catholica et apostolica ecclesia ex nostra synclitu, quem placatus proprio consilio clericare voluerit et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus praesumentem superbe agere.

16. Decrevimus itaque et hoc, ut isdem venerabilis pater noster Silvester, summus pontifex, vel omnes eius successores pontifices diademam videlicet coronam, quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant et eorum capite ad laudem dei pro honore beati Petri gestare; ipse vero sanctissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsam ex auro non est passus uti coronam, frygium vero candido nitore splendidam resurrectionem dominicam designans eius sacratissimo vertici manibus nostris posuimus, et tenentes frenum equi ipsius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus; statuentes, eundem frygium omnes eius successores pontifices singulariter uti in processionibus ad imitationem imperii nostri.

17. Unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni imperii dignitas et gloriae potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut praelatum est, quamque Romae urbis et omnes Italias seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates saepefato beatissimo pontifici, patri nostro Silvestrio, universali papae, contradentes atque relinquentes eius vel successorum ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponenda atque iuri sanctae Romanae ecclesiae concedimus permanenda.

18. Unde congruum prospeximus, nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus et in Byzantiae provincia in optimo loco nomini nostro civitatem aedificari et nostrum illic constitui imperium; quoniam, ubi principatus sacerdotum et christianae religionis caput ab imperatore caelesti constitutum est, iustum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem.

19. Haec vero omnia, quae per hanc nostram imperialem sacram et per alia divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permanenda decernimus; unde coram deo vivo, qui nos regnare praecepit, et coram terribili eius iudicio obtestamus per hoc nostrum imperialem constitutum omnes nostros successores imperatores vel cunctos optimates, satrapes etiam, amplissimum senatum et universum populum in toto orbe terrarum

nunc et in posterum cunctis retro temporibus imperio nostro subiacenti, nulli eorum quoquo modo licere, haec, quae a nobis imperiali sanctione sacrosanctae Romanae ecclesiae vel eius omnibus pontificibus concessa sunt, refragare aut confringere vel in quoquam convelli. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor extiterit, aeternis condemnationibus subiaceat innodatus, et sanctos dei principes apostolorum Petrum et Paulum sibi in praesenti et futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum diabolo et omnibus deficiat impiis.

20. Huius vero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes super venerandum corpus beati Petri, principis apostolorum, posuimus, ibique eidem dei apostolo spondentes, nos cuncta inviolabiliter conservare et nostris successoribus imperatoribus conservanda in mandatis relinqui, beatissimo patri nostro Silvestrio summo pontifici et universali papae eiusque per eum cunctis successoribus pontificibus, domino deo et salvatore nostro Iesu Christo annuente, tradidimus perenniter atque feliciter possidenda.

Et subscriptio imperialis:

Divinitas vos conservet per multos annos, sanctissimi ac beatissimi patres.

Datum Roma sub die tertio Kalendarum Aprilium, domino nostro Flavio Constantino augusto quater et Gallicano viris clarissimis consulibus.

**Mille annis jam peractis
nulla fides est in pactis
mel in ore, verba lactis
fel in corde,
fraus in factis.**

**Proverbium, quod inveniri videtur apud iurisconsultum
mediaevalem. Quis scit, quo loco inveniantur haec verba?**

Xavierus Nicolao s. p. d.

Care Leo Latine! Tibi in annum MMXVIII optima exopto!

Anni MMXVII ultimas tuas epistulas electronice missas non accepi. Fortasse error in indice aut in meo electronico cursu est. Visne eas denuo mihi mittere? Gratias maximas tibi ago.

Nuper inveni nugas inter libri paginas latitantes, quae in Vniversitatis annis a me scriptae sunt. Nescio quid de eis arbitrarer. Ergo eas tibi mitto; fortasse in tuis epistulis latinis eas edere vis.

Vale.

INTERROGATIO

-“Heus, perii”- murmuravit Oedipus demisso capite, ingenti formidine oppressus. Is autem notionem aenigmatis, de quo illud corpus inusitata magnitudine se et antea multos alios interrogaverat, habebat. Finis quaestionis semper funestus, semper horrificus fuerat, sed tunc videbat cernebatve ille responsionem ex imo cerebro egredientem. Tamen ea nec manifesta nec omnino aperta erat, tamquam percontatorem adiuvaret aut interitum et casum exoptaret.

Quoniam Oedipus secum corde volutabat, imprudentem eum oppressit eiusdem interrogationis repetitio. Repente iuxta se imminentem molem adspexit: ut tenera ovis, quae papilionem persequens gregem reliquit, in silvae tenebrico angulo lupo obviam it et sui exitii gnara ante inimicam feram tremit, sic Oedipus plane pavidus stabat.

Tum demum lux, quae ei aenigmatis solutionem dedit, in mente apparuit, et aegre sed paulatim verba ex ore exierunt:

-“Duo plus tria...sunt...quinque...”

-“Praeclare, Oedipe!”- dixit magister suo discipulo contentus

Exornatissime ac Doctissime Domine,

Tempora transeuntia ARBOREM semper VIRIDICAM non tangunt nec corrompunt: ita essentiam celebramus, non temporalitatem, etsi per quam manifestatur.

Propterea abs temporalitate in essentia vota nostra pro vobis confinguntur.

Johannes TERESI et mulier Elisa Magurno

Astrum sui conscium

Astrum, quod magis resplendes,

e longinquo venis,

velut aurum luces in obscuritate.

Luminosae distantiae leves fiunt imagines,

invicem pulsante vita praeditae.

Parvulum ut granum

in infinitatem te proicis.

Paludamentum ornat caeruleum

stellarum pulvis,

variis sortem cuique coloribus pingit.

Astrum, in trama caerulea tu cubas,

res obtutum inicis humanas,

quas interrogans adspicis;

pro bono iura promovere vis,

haud sine simplicitate.

*“In universa re - dicis - sola sumus
sparsaque, brevitatis angore capta!”*

*At nullum nomen tibi est,
an exstes adhuc nescio.*

En! Mirabile visu!

*Mediis innumeris ines corporibus,
totum nudum, proh dolor,
fugaci temporis fragmento voraturum.*

Johannes Teresi

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num. mand a-telae | ISBN | TITULUS | AUCTOR | TRANSLATOR | ANNUS | FORMA | AMPLITUDO | PRETIUM |
|----|-------------------|-------------------|---|----------------------------|----------------|-------|------------|-----------|---------|
| 1 | 00104 | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 2 | 00104 A | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 21 min. | € 22,90 |
| 3 | 00204 | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 33 pp. | € 27,50 |
| 4 | 00304 | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 6 pp. | € 17,90 |
| 5 | 00304 A | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | Audio | 6 min. | € 20,90 |
| 6 | 00404 | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 7 | 00404 A | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibiles | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 20 min. | € 21,90 |
| 8 | 00504 | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 14 pp. | € 19,50 |
| 9 | 00604 | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 16 pp. | € 19,00 |
| 10 | 00704 | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS | Diogenes Anaedouus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 11 pp. | € 19,50 |
| 11 | 00804 | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI | Diogenes Anaedouus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 12 | 00904 | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAE | Bertolt Brecht | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 21 pp. | € 22,00 |

| | | | | | | | | | |
|----|------------|-------------------|---|---------------------------------|----------------|------|------------------|---------|---------|
| 13 | 01004 | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN | Henricus van den Lande de Raelt | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,50 |
| 14 | 01104 | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM | 21 pp. | € 22,00 |
| 15 | 01204 | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIANAE 1 | Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 16 | 00105 | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS | Friedrich Dürrenmatt | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 49 pp. | € 31,90 |
| 17 | 00205 | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE | Gerhart Hauptmann | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 18 | 00305 | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1) | Christoph Martin Wieland | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 15 pp. | € 19,50 |
| 19 | 00405 | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT | Johann Wolfgang von Goethe | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 82 pp. | € 38,90 |
| 20 | 00505 A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 00605 A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 00705 A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles | C.I. Caesar | ----- | 2005 | Audio | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106 | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE | Nikolaus Gross | ----- | 2006 | CD-ROM pdf | 87 pp. | € 48,00 |
| 24 | 00206 | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM | Karl Friedrich Kilmeyer | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf | 66 pp. | € 38,00 |
| 25 | 00306 A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles | C.I. Caesar | ----- | 2006 | Audio | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 00406 A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles | M.T. Cicero | ----- | 2006 | Audio | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 00506 A | 978-3-938905-26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles | L.A. Seneca | ----- | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |

| | | | | | | | | | |
|----|------------|---------------------------|--|------------------------------------|-------------------|------|-------------------|---------|---------|
| 28 | 00107 A | 978-3- 938905-27- 2 | ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS | Apuleius | ----- -- | 2007 | Audio | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 00207 A | 978-3- 938905-28- 9 | OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA | Livius | ----- | 2007 | Audio | 53 min. | € 23,90 |
| 30 | 00307 | 978-3- 938905-29- 6 | FABELLAE GRIMMIANAE II | Jacob Grimm/ Wihelm Grimm | Nikolaus Gross | 2007 | CD- ROM pdf | 58 pp. | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDEQUINGAGESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

Die Dominicâ, 14. m.Ian. a.2018

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>